

Bernardus sex motiva mutata religionis conscripsit ac publici juris fecit, ubi fatetur, a teneris annis stimulos ad fidem catholicam amplectendam sensisse, quos cum expellere animo nulla arte posset magno studio ad veritatem indagandam se incubuisse, praeprimis per assiduum lectionem paginae sacrae, in qua textum illum Math. 16.: »Tu es Petrus et super hanc Petram aedificabo ecclesiam meam,« non nisi pro ecclesia catholica explicare potuerit. Magno sibi adjumento fuisse Syntagma Theologiae Mathaei Scoti et librum de imitatione Christi, quibus in viam rectam fuerit perductus.

Tum excurrit in laudes vitae monasticae, quam in monasterio Rhenaugiensi sub regula S. Benedicti amplexus fuerat. Tandem exclamat: »O dilecta vita! O dulcis solitudo! O derelictum ab hominibus orbis recessum, ubi Deus ipse habitationem suam fixit, quis non ultro ibi quiescat, ubi oculi clausi ad mundi vanitates, aperti vero ad Dei conspectum ejusque verbum legendum, oclusae ad susurrations et cantilenas profanas, solutae vero ac promptae ad Dei laudem! O dilecta habitatio! O dulcis vita!«

Ad extrema delatus Cardinalis ex emortuali lectulo sequentia animae poenitentis suspiria in calamum dictavit: »O Deus meus! Quamdiu infinita bonitate tua abutar? Quamdiu Te offendam? Quamdiu Te Tuis ipsius armis oppugnabo? Quam confundit me in hoc misero statu Tua immensa misericordia! Quam severe nunc punis, quem tamdiu tam longanimiter tolerasti! Nunc finis omnis peccati! Ex hoc momento nunquam amplius tuam iram provocabo, omnia crimina detestabor et in aeternum derelinquam. O benignissime Deus, benedic hanc meam ultimam voluntatem!«

Excidium vere horribile

Abbatiae Sti Maximini prope Treviros,
 conscriptum ab oculari teste Alexandro Henn,
 ejusdem coenobii Religioso et postea Abbate. O. p. e.

(Mitgetheilt von P. Philipp Diel, Definitor in Ruwer.)

(Fortsetzung von Jahrgang IV., Heft III. S. 138—149.)

Nostro sane S. Maximini coenobio vel audita in castris de-
 ditae urbis fama prope exitialis fuit, cum intentatam sub primas
 ingruentis noctis tenebras a pedestribus Gallorum copiis monasterii
 expilationem oblati aliquot vini plaustris aliisque ad victum ne-
 cessariis vix declinavimus. Verum expilationis haec non declinatio
 sed dilatio fuit.

Petrus Comes de Vignory, regundae Trevirorum Metropoli
 Gubernator a rege impositus, tarditatem supplicii gravitate com-
 pensavit. Vah tetrum, fatale, dirum, execrabile Treviris nomen!
 ad cujus inauspicatum feralemque introitum ipsa mihi urbis moenia,
 sacra profanaque tecta licet sensu carentia lugubre ejulasse lamen-

tabileque illud ante Jerosolymorum excidium, teste Josepho, exauditum «Vae Treviris» miserabiliter insonuisse videntur . . . cum ipse Generalis Bissius hanc Gubernatoris Vignorii designationem immensam in Treviros regis iram interpretatus, palam affirmare non dubitavit, in omni prorsus Gallia monstrorum ejusmodi alias feracissima vix quemquam nosse se, qui truculenta barbarie immanique atrocis animi feritate vel a longe cum Vignorio comparari posset. Plerique demum Francorum officii, impotenti vanissimi hominis fasta furiosaque hac amentia offensi, eum ut theatralem circulatorem videbant ac ut divis furiarum taedis exagitatum monstrum aversabantur. Et sane si quam conjecturam affert hominibus tacita corporis statura seu figura, quid, obsecro, aliud audax ille minaxque Vignorii vultus? quid torva multaue fuligine obsita facies? quid boarii illi rotatique saepius in orbem oculi? quid horridus asperae vocis mugitus? quid crebris inter se motibus agitati dentes? quid denique sub immani portentosoque capite brevis despectusque corporis truncus? quid inquam haec omnia in Vignorio, quam ab imis unguibus usque ad verticem summum olere malitiam ac clamitare crudelitatem videntur? . . .

Evoluta igitur capta ab urbe vix octiduo Vignorius ad 16^{to} Septembris universum peremptorie in aulam Archiepiscopalem citat clerum. Conveniunt frequentes ad Eximii Principis Palatium saecularis regularisque Cleri antistites, quos metu accitos fastuoso de redimendo aere campano interpellat, ni faxint, turritis mox templorum molibus detrahendum ac in Franciam ad conflanda tormenta bellica deportandum esse perquam atrociter interminatur. . . . Conventum est, ut in urbanarum suburbanarumque campanarum lytrum¹⁾ decem imperialium Dalerorum millia constituto die Metis numerarentur. . . .

Deinde Vignorius Clerum decrevit graviore tributorum onere quam statum saecularem opprimendum, ideoque ex undecim in Septembrem postulatis imperialium millibus ordini Ecclesiastico septem millia quantocius numeranda sub militaris executionis interminatione deprecabiliter sunt imperata. Quae dein iniquissima Clerum inter ac saecularem statum vignoriano ingenio adinventam partitio etiam subsecutis mensibus sollemnis fuit, ut inaudito apud barbaros gentes exemplo Clerus omnis quorumcunque etiam mendicantium ordinum in tributis persolvendis duobus trientibus, saeculares vero uno tantum gravarentur. Unde factum est, ut unicum S. Maximini, extra urbis muros adeoque extra culpam situm ac per spoliationes anteriores prorsus exhaustum, monasterium in Septembrem 1053 imperiales 40^{1/2} alb., in Octobrem 1182^{1/2} imperiales, totidem in Novembrem, ac deinceps in Decembrem

¹⁾ Lösegeld.

990, in Januarium 880, in Februarium denique mille trecentos viginti imperiales daleros per Vignorii Nollangiique immane decretum solvere sit compulsum.

Reverendissimus interea Abbatiae Maximiniana Antistes aliique cleri Treverici Proceres, cum nec prece nec pretio nec aliis adminiculis concessam receptissimo gentium etiam barbarorum jure immunitatem suam tueri posse melioraque a christianissimo regis animo pro religionis libertate exspectarent rescripta, submissis ad aulam regiam, quae id temporis Nancaei subsistebat, legatis pro remissione supplicandum decernunt. Cui legationis officio cum ultro se offerret collegii S. Jesu rector J. D., ac primariorum in aula francica ministrorum favore non dubiam regiae impetrandae gratiae spem faceret, obviis cleri votis in eam expectationem admissus est, qui vice et nomine omnium hanc ad regem legationem obiret. At privati quam publici boni studiosior Jesuita, veritus etiam, ne si communem a rege exemptionem oraret, nec privatam suorum collegiorum exoraret, clam reliquis urbe excedit, ac unico, cui rem communicaverat patre Carthusiano comitatus Nanceiam in Lotharingiam ad regem abit, interventuque regii e Societate confessarii ac aliorum in aula potentium patronorum pro collegiis suis omnimodam a tributis exemptionem, pro patribus vero Carthusianis quartae unius remissionem consequitur. . . Regius in urbe Quaestor, ubi signatas hos exemptionis tabulas inspexit, hos quidem imposterum immunes habuit, sed immunitate hac reliquum clerum oneravit, gravissimam singulis etiam mendicantibus ordinibus executionem interminatus, ni praeter intolerabile onus domesticum etiam pro francicis his libertis tributa in singulos menses pensitarent. . . . Ad omnia ac singula cleri gravamina unicum illud duntaxat reponebant: Solvendum est, quia sic regi placet, cujus quisquis ordinationibus restiterit, iram regiam paratunquae supplicium pertimescat. . . Ita illi ad aequissimas quorumcunque exceptiones prorsus ferrei et inexorabiles ore igneo tormentorum saeva imperabant despoticique imperii sui aliam nullam rationem assignabant, quam unicam regis sui voluntatem. Quibus jure occinas illud Illustrissimi autoris ad gallicum ist hoc triverbium epiphonema; «Stat Gallis non jam pro ratione voluntas, sed violentia.»

In causa certe libertatis immunitatisque jesuiticae, cum ad voluntatem minus velociter sequerentur pecuniae, violentiam adhibendam rati ad signa militem convocant, qui sacrilega libertate eosque per monasteria grassaretur, dum regiis illis libertis assignata pridem tributa a mendicantibus etiam extorquerent, quo non vano terrore effectum est, ut tum alii ordines pro rata, tum abbatia S. Maximini, cum jam centum equites peditesque pro executione apud nos facienda in procinctu apparuissent, ad XIII

Calendas Februarias 1674 una vice sexcentos sexaginta imperiales pro exemptis nostris numerare cogeret, adeo ut summa totius ab 8^a Septembris 1673 ad Februarium usque inclusive pro unico monasterio S. Maximini ad 7268 imperiales et ultra excurreret, quos dividitis primum vitae subsidiis, dein oppignoratis universis ferme proventibus, per atroces minas inauditasque contra loca Deo dicata militares executiones, divino humanoque jure reclamante, persolvere sumus compulsi.

Heu luctuosam nimisque abjectam sub imperio Gallico Religiosorum, hominum sortem! Servitatem prorsus aerumnosam? Tolerabilior profecto longeque pacatior sub Mahometano Sarcenorum tyranno Christianorum sacerdotum vita, quam sub liliato Christianissimi regis sceptro monasteriorum ordinum hac tempestate conditio! . . .

Nequaquam inter hanc licet immanem exactionum enormitatem sese cohibuit Francorum in S. Maximini monasterium furor. Quippe sub ineuntis Octobris auspiciis Gubernator, excidii non multo post subsecuturi quoddam veluti daturus praeludium, non stantia modo per vivarii monasterium undique ambientis marginem annosarum quercuum robora submissis fatellitibus subruere imperat, verum etiam ad XXIII Octobris ipsos religiosos S. Maximini patres in damnum proprium laboriosos esse horrido dominatu compellit, dum excidii incendiique atroci interminatione frugiferas in pomerio sine numero arbores clade intra saeculum non reparanda ipsosmet excindere ac amplum illud extra fossae marginem monasteriique pro re pecuaria structum aedificium per monasterii famulos deturbari perquam ferociter iubet. Id vero cum ob aedificii vastitatem firmitatemque ac prouentium murorum periculum (plures enim sub hac collapsorum parietum strage jam tum agricolae cum Francorum risu perierant) improbo voto tardius procederet, furere enimvero Vignorius ac energumeni instar tota blasphemorum juramentorum plaustra despumare simulque horrendum contestari, ni ante Simonis et Judae singula ad terram afflicta jaceant, universa monasterii aedificia injectis manu sua facibus concrematur iri. Et inflammasset profecto et in lamentabile bustum amplissimam Abbatiam vertisset monstrum Vignorius, ni accitis propediem ex omni Satrapia agricolis infelici operi certatim admoventi manum ac memoratum cum muralibus adjacentium hortorum sepimentis aedificium praefixo termino solotenus rasum vidisset. Non tamen dispendioso hoc nostro obsequio animus in exitium obfirmatus placari potuit, quin et diruenda monasterii moenia decerneret et dirutorum aedificiorum saxa lignaque expensis nostris ad vicina Gallorum propugnacula deportari juberet, ac universas per urbis circuitum arbores extra tormenti jactum succidi sub decem aureorum

mulcta imperaret, eodemque tempore viciniore urbi pagos hortensiaque Carthusiae moenia per milites ac rusticos demoliretur.

Praeludia haec fuere fatalis post hyemem cum orbis universi stupore in theatrum dandae catastrophes, ad quam describendam quo breviori curriculo veniamus, reliqua ante excidium per singulos fere dies accepta rerum fortunarumque dispendia exhausto monasterio perquam gravia hic non consecamur, multominus ad invidiam exaggeramus. Ad ipsum malorum omnium epilogum, tragicum scil. monasterii S. Maximini excidium, mentem calamumque convertimus. . . .

Fundavit illud sub annum trecentessimum trigesimum tertium in suburbana Augustalis palatii regia primus Christiani nominis imperator Flavius Constantinus, cognomento Magnus;¹⁾ dedicavit ad titulum honoremque S. Joannis Evangelistae Antiochenorum Patriarcha, primus Trevirorum Archiepiscopus, Agritius; dicatum amplissimisque non minus privilegiis quam praediis dotatum incoluere primi ex instituto Basilii Magni coenobitae sub viro Dei Joanne, monacho Antiocheno, per religiosissimam imperatricem Sc tam Helenam ab ultimo oriente acciti; qui et orientalis disciplinae monachi per duo circiter saecula ac aliquot lustra qua sanctitatis, qua doctrinae fama vitaeque ac morum innocentia locum hunc mirifice illustrarunt, donec tandem sub saeculi sexti medio, inlaescente per Gallias opera S. Mauri regula benedictina, abdicato ipsi veteri instituto socialis animis votisque in novam S. P. Benedicti familiam divino consilio transirent. Cum ipsum etiam monasterium, illatis a S. Paulino Archiepiscopo predecessoris sui Seti Maximini, in basilicam S. Joannis Evangelistae reliquis, in Seti Maximini simul patrocinium ac nomen sub annum Christi trecentessimum quinquagesimum primum transiisset, quam deinde appellationem vitaeque benedictinae institutum per tredecim jam et ultra saecula indeclinabili prorsus disciplinae monasticae rigore ad haec usque tempora tenuit, ea semper religionis fama, eo perfectionis monasticae studio, eo divini honoris zelo, ea scientiarum doctrinaeque laude, ea denique virtutum omnium contentione, ut ex unico hoc S. Maximini asceterio veluti quodam observantiae regularis seminario ad vicina passim monasteria iustauranda sanctioremque disciplinam efformandam plures per singulas annorum centurias Abbates cum ingenti nominis celebritate evocarentur, non multo post ad Episcopales Archi-

¹⁾ Die Gründung des Klosters St. Maximin durch Constantin den Grossen war zu allen Zeiten Annahme der Klosterschriftsteller, ist aber historisch nicht nachweisbar. Antiquissimi monasterii origines obscurae sunt, sagt Hontheim *Historia dipl.* I, 30 § 24. Cfr. Chronist Nicolaus Novillanus bei Hontheim *Prodromus* 997. Siehe Diel, *der heil. Maximinus und der heil. Paulinus* S. 11—13. Marx, *Geschichte des Erzstiftes* III, 44.

episcopalesque diversarum ecclesiarum per Germaniam infulas contentioso christianorum Principum studio evehendi, quorum praestantissimorum virorum si hoc loco praetexere Catalogum aut Sanctorum, qui ex hujus monasterii sacra disciplina prodire, inire numerum vellem, lectoris ad alia properantis animum, ne offenderem, non abs re vererer: quam ob rem protenso duntaxat indice educatos in hac Abbatia sanctitateque ac miraculis claros effectos Heroes per transennam demonstro: Fibitium scilicet, Nicetium, Magnericum, Aredium, Basinum, Clodulphum, Hidulphum, Spinolum, Benignum, Joannem, Weomadum, Wolfgangum, Popponem, Bernardum, Adalbertum, Wolfetmum, Sandradum, Romualdum, Simeonem aliosque plurimos. Et ex his quidem Nicetius, Fibitius, Basinus, Weomachus, Clodulphus, Hildulphus ad Archiepiscopales ecclesiae Trevirensis infulas, Adalbertus ad Magdeburgensis, Wolfgangus ad Ratisbonensis evecti sunt, multi insuper alii ad episcopatus Hildesiensem, Leodiensem, Paderbornensem, Wormatiensem, Metensem, Tullensem, ad Abbatias innumeri ex hoc sacro loco assumpti, magna cum laude, nec minore ecclesiarum administratarum utilitate praefuerunt. Unde illustrissimi hujus monasterii fama brevi tanta nominis celebritate virtutumque ac scientiae laude universas orbis Europaei provincias est pervagata, ut non privati duntaxat se fortunisque suas D. Maximini servitio certatim ultro deberent, sed supremi etiam monarchae ad augendam loci celebritatem totos thesauros regios pia omnino prodigalitate conferrent.

Unus certe Galliarum rex Dagobertus Magnus hanc Augustissimorum imperatorum vere regiam in D. Maximini religiosam liberalitatem suomet exemplo sat luculento testatam fecit, dum regio diplomate ¹⁾ anno duodecimo regni sui Moguntiae dato non Constantiniana duntaxat privilegia confirmavit, sed usque adeo amplas possessiones ad veteres facultates adjecit, ut hanc legem firmiter ac perpetualiter (sunt verba diplomatis) imposterum habendam decreverit, sc. ut centenorum ibidem summa monachorum semper integra maneat et inconvulsa, qui diu noctuque laudes divinas in Basilica maximiniana irrequieta psallentium pietate decantarent. Gloriosum hoc Dagobertinae in S. Maximini familiam munificentiae exemplum alii etiam tum temporis christianissimi Galliarum reges non minus gloriose quam munifice subsequuti eo semper in honore ac veneratione habuerunt, ut in regis suis literis (quarum Originalia in Archivio asservantur) non eximiis duntaxat privilegiis decorarent, immunitatibus ornarent, locu-

¹⁾ Die Urkunde Dagoberts vom Jahre 633 ist als unecht nachgewiesen bei Mabillon, De re diplom. III. 1. Siehe bei Hontheim, Historia dipl. I. 79; Marx III, 139 folgende; Diel, Maximinus u. Paulinus S. 9 und 12.

pletarent fundis, verum etiam, quo religiosorum quieti imposterum tranquillitatisque consulerent, horrendas in coronata regum successorum capita diras (si quis S. Maximini familiam infestare praesumpsisset) metuendamque de coelo ultionem devocarent. Ore omnium loquatur audiaturque Pipinus ille, Caroló Magno filio non minor parens, qui in diplomate suo conservandis S. Maximini juribus XIV^{to} regni sui anno Moguntiae dato,¹⁾ gravissimis hisce verbis reges posteros compellat «Domino ac Salvatore nostro vitam aeternam in Evangelio promittente plena atque integra fide sine dubio credimus, nobis in futuro saeculo compensari, si stabilitatem ac quietem monasteriorum confirmamus ac res ecclesiasticas, Deo donante, cum protectione augmentamus. Proinde ego Pipinus, gratia Dei rex Francorum, omnibus regibus in aeternum futuris in hoc testamento denuntio me habere sub potestate regali monasterium S. Maximini, ubi S. Maximinus Dei praesul est corpore sepultus . . . Si quis autem, quod absit, ejusdem loci familiae ullam molestiam in aliqua re intulerit, iram Dei incurrat ac regiae majestatis reus omni tempore teneatur. Ita Pipinus . . .

Credisne, christianissime Galliarum rex Ludovice, plena atque integra fide cum Pipino illo Magno compensandum tibi in futuro saeculo, si quietem monasteriorum confirmaveris! Si res ecclesiasticas, Deo donante, cum protectione augmentaris? Scio, quia credis! Si ergo, praedominante in aula pseudopolitico quodam administro, per vicarios tuos monasteriorum quietem turbaveris, si res ecclesiasticas everteris, et illud sine dubio compensandum in altero saeculo crede, ubi, teste S. Hieronymo, «Et reges nudo latere palpitabunt.» Vide, time, rex christianissime, ne juxta Pipini metuendam comminationem iram Dei incurras, ac non regiae sed divinae majestatis reus omni tempore tenearis! Terribilem illum metue, qui aufert spiritum Principum, terribilem apud reges terrae, dum funesto tot sacrorum locorum excidio manu regia subscribis, a quorum violatione vel ipsas Gentium immanitate barbarorum manus religio sanctitasque retraxerat;

Monasterium profecto S. Maximini, quod inter tot horrida Martis proelia, licet varie afflictum, steterat tamen mole sua religioneque tutum «christianae poenitentiae ac sanctimoniae domicilium,» quo elogio Summus ecclesiae Pontifex Gregorius XV. in Brevi suo ad Petrum Abbatem ao. 1621 illud appellandum censuit, nunc tuo rescripto, tuo ad tuos vicarios mandato per Vignorium tuum «inter inhospita, eheu rudera sepultum manet.»

Jam pridem hic Dei hominumque contemptor Vignorius isthoc sacrorum locorum excidium meditatus fuerat, eo quidem impetu ac vesania, ut ne in prima quidem supremi magistratus

¹⁾ Die Urkunde Pipins vom Jahre 766 bei Hontheim. Hist. diplom. I, 129; Beyer, Mittelsheim. Urkundenbuch I, 29.

inauguratione barbarum ferocis animi decretum celare potuerit, qui deinde rumor de lamentabili tot nobilissimarum Ecclesiarum statuto excidio, incertis auctoribus sparsus, per urbem vario audientium affectu acceptus et diffusus est, Gallorum plerisque Turcico Vignorii decreto impie applaudentibus, ingemiscuntibus Trevis fere omnibus, religiosis autem, quos propior cura angebat, ad feralem famam attonitis atque incerta exspectatione penitus consternatis.

Et vero ne conceptum atrocis animi furorem citius evomeret, fecit comitis de Maulourier Colbert, in novum gubernatorem a rege delecti, sub Calendas Januarias 1674 in urbem adventus, cui Vignorius locum cedere jussus est. Et sane cum malus hic genius altioris potestatis constrictus autoritate, quod infandum jam dudum in sacras aedes facinus designarat, nec ipse jam exequi nec aversantem horrenda sacrilegia Colberti in meditati sceleris posset pertrahere societatem, non destitit tamen inquietus hic spiritus comitis quotidie pertentare animos, everberare aures, praenuntiare pericula, Maximiniani praesertim coenobii amplum nimis urbiq; noxium situm livore magno exaggerare, dum eo demum perpulit, ut Colbertus Vignorii aliorumque Gallorum syrmate comitatus ad 21. Martii ipsemet in monasterium se conferret, per circuitum non otiosus spectator lustraret ac regulares officinas tacitus admirator contempleretur. Unus hic Vignorius ad singulos coenobii recessus virus suum effundere, hic edificiorum metuendam urbis tormentis firmitatem ampliare, alibi arearum receptandis adversae partis copiis nimis extensam laxitatem acerbe ingerere, ubique insidias comminisci, metuere pericula, suspicari proditones, nihil denique non in crimen discrimenque vocare. Neque tamen Vignoriana hac periculorum eminentiorum commemoratione Colbertus induci potuit, ut operi sacrilego admoveri manus quanto citius pateretur, religiosis hanc ob causam supplicibus publice contestatus, non toleraturum se, ut se inspectante ecclesiis pernicies et monasteriis violentia inferatur. Id vero Vignorii tamen furorem tantisper inhibuit ac per trimestre spatium, quo Trevis substitit, a Coenobiis sanctorumque Basilicis paratam dudum injuriam ad Calendas usque Aprilis propulsavit.

Interea sub exeuntis Martii decursum post trimestre urbis imperium in Gallias revocatur campi Mareschallus Colbertus, quem postridie Calendarum Aprilium honoris ergo Comitatus aliquo usque Vignorius vix ab itinere redierat, cum veluti impastus vinculis leo horrendum furere, rugire ac contra vicina urbi monasteria nil nisi ferrum ac flammas detonare . . .

D. D. Canonicorum S. Paulini aedes¹⁾ primam trucidis leonis

¹⁾ Das Canonicatstift St. Paulin, welches seinen Ursprung auf den h. Felix, Bischof von Trier † 398, zurückführt, liegt in der Nähe von St. Maximin. Die frühere Stiftskirche ist gegenwärtig Pfarrkirche der Pfarrei

exceperere rabiem, non intermisso labore, dum a militibus, quibus stipendii loco domorum materialia attribuerat, solotenus universae diruerentur. Et flamma, quae jam cum reliquis canonicorum aedibus amplissimum quoque monasterii S. Maximini diversorium consumpserat, si porro ultra glisceret, in ipsum monasterium propediem exarsura videbatur. Et exarsit non post multos dies.

Cum enim ad Nonas Aprilis, quae in diem Jovis post Dominicam in Albis S. Josepho eo anno sacrum inciderat, S. Maximini Patres sub missa conventuali eidem Sancto periclitantem monasterii spem ac rem omnem clientelari affectu commendarent, ecce uti inexpectatus ita vel ipsis saxis luctuosus adest Vignorius, calamitosissimi excidii ipsomet et machinator et praenuntius, qui evocato ex choro Rev^{mo} Dño Abbati¹⁾ non extremam duntaxat calamitatem ultimamque perniciem denuntiat, verum etiam, ni ligna, lapides, ferrum, plumbum reliquamque monasterii suppellectilem in praedam militibus assignari velit, proprii monasterii demolitionem inaudita barbarie indicit. Religiosus Dni. Abbatis animus dira excidii denuntiatione consternatus, cum et a nefaria proprii monasterii demolitione omnibus tum divinis tum etiam praestito in abbatiali benedictione juramento prohiberi sese constanter affirmaret atque ab immani hac denuntiatione ad regiam majestatem, postulata duntaxat unius mensis dilatione, humiliter appellaret, turbidus repente se ex colloquio Vignorius proripit ac pro indulgentia regia nil nisi excidium exitiumque praestolari jubet: hanc esse mentem ultimamque regis voluntatem . . . Nos certe, cum ad exportandam ac militum furori subtrahendam suppellectilem ne trimestre quidem tempus suffecisset, vix bidui dilationem impetrare precibus humillimis potuimus, qua tamen tantilla morula per fidem gallicam gaudere non licuit. Postera siquidem luce summo mane adest a Vignorio contra datam fidem submissus ex urbe rapacissimorum militum globus, qui ab excubitore intra monasterii portas admissi rem, ob quam venerant, mox agere incipiunt: discurrunt non silentio, aedificiorum ostia penetrant, reserant, ingrediuntur, lustrant omnia ac canum venaticorum instar undique praedam odorantur; mox per amplissimam aream volitant ad amatas sibi gallinas, capiunt, jugulant, mactant et obvia quaeque diripiunt.

(Continuatur.)

St. Paulin in der Vorstadt gleichen Namens. Das ehemalige Decanatshaus ist Pfarrhaus, die übrigen Canonicathäuser sind Privatwohnungen. Zwei von diesem sind in neuerer Zeit zu einem Kloster „zum guten Hirten“ umgewandelt.

1) Abt Maximin Gülich aus St. With, geb. 1610, trat in den Orden 1631, wurde Priester 1636, zum Coadjutor des Abtes Agritius Reckingen gewählt, am 2. Juni 1654, folgte diesem als Abt im Jahre 1655 und starb im Maximiner Refugium am 29. December 1679. Er wurde, da die Abteikirche zerstört daniederlag, in der Abteikirche St. Martin beigesetzt. Während der Verbannungszeit im Refugium starben daselbst acht Conventualen, welche in der zunächst gelegenen Kirche der Grauschwestern beerdigt wurden.